



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 16. Proemium ad Canones de Sacramentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

pii commentum Pallavicinus sat prolixus
confutat, ita inquiens: *Merum purum inventum, prout ac deducere licet ex Actis, ex Diariis, & ex Monumentis, ubi hac re plane nihil: neque suspicari fas est, id ibi consulto prætermissum, cum e contrario legendatur ibidem plurima inter Patres dissidia, plurimæque a legatis in ipsos habitæ objurgationes, & a me non amissæ; qui nolui vera dissimulare, quamvis mihi molesta, & a Suavi non adducta, qui vera divinare nequit, quamvis sibi perjucunda.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1547.

Ceterum sacro absoluto, precibusque ac ritibus de more adhibitis hymnus de Spiritu sancto decantabatur, quo finito triginta Canones circa Sacra menta, nec non reformationis decretum quinque capitibus mox referendis comprehensum prælegebatur.

§. XVI.

Proemium ad Canones de Sacramentis.

Priusquam recitabantur Canones, præ- Labbe t. 14.
missum erat proemium, seu præfa- p. 776.
tio quædam his verbis concepta: *Ad consummationem salutaris de justificatione doctrinæ, quæ in præcedenti proxima Sessione uno omnium Patrum consensu promulgata fuit, consentaneum visum est, de san- dissimis Ecclesiæ Sacramentis agere, per quæ omnis vera iustitia vel incipit, vel cœpta*

Sæcul. XVI. pta augetur, vel amissa reparatur. Pro-
A.C. 1547. pterea Sacrosancta œcumonica & generalis
 Tridentina Synodus in Spiritu sancto legiti-
 time congregata, præsidentibus in ea eisdem
 Apostolicæ Sedis Legatis, ad errores eli-
 minandos, & extirpandas hæreses, quæ
 circa sanctissima ipsa Sacraenta hac nostra
 tempestate, tum de damnatis olim a Patri-
 bus nostris hæresibus fuscitatæ, tum etiam
 de novo adinventæ sunt, quæ Catholicæ Ec-
 clesiæ puritati, & animarum Saluti mag-
 nopere officiunt, sanctorum Scripturarum
 doctrinæ, Apostolicis traditionibus, atque
 aliorum Conciliorum & Patrum consensui
 inhærendo, hos præsentes Canones statuen-
 dos ac decernendos censuit, reliquos, qui
 supersunt ad cœpti operis perfectionem, de-
 inceps, divino spiritu coadjuvante, editura.

§. XVII.

Canones de Sacramentis in genere.

I. Si quis dixerit, Sacraenta novæ legis
 non fuisse omnia a Jesu Christo Do-
 mino nostro instituta, aut esse plura, vel
 pauciora, quam septem: videlicet Baptis-
 mum, Confirmationem, Eucharistiam, Pa-
 nitentiam, extremam Undionem, Ordinem,
 & Matrimonium, aut etiam aliquod horum
 septem non esse vere, & proprie Sacramen-
 tum; anathema sit.

II.